



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn


**Joan. Baptistæ Santolii Canonici Regularis Victorini
Carmina Selecta**

Santeul, Jean de

[S.l.], 1679

Ad Improbam Musam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13401



AD IMPROBAM MUSAM.

SURDA puella, meos dudum quid spernis amores?

Et male cur precibus surda puella meis?

Vix ego te agnovi, cum blando accensus amore

Hæc animum, dixi, flectere sola potest.

Audiit hæc, spondetque animos ad carmina magnos,

Sed mihi tentanti carmina nulla dedit.

Improbe amor fallis, fallis magis improba Musa;

Fallis, quis nescit? fallitur omnis Amans.

Ah! quoties, dixi, numquam mea Musa revifam,

Numquam meque suis ignibus uret Amor.

Me ridebat Amor, nam te mea Musa revifi,

Ignibus atque suis fortius uffit Amor.

Me numquam videas, te numquam Musa videbo:

Sed si me videas, tu videre, precor.

Noctes, atque dies, tua sæpe occurrit imago,

Incessus, tua vox, & tua verba simul.

Quid non misissem? si non mihi dura fuisses,

Misissem quidquid mittere novit Amor.

Sed nec muneribus, precibus nec flecteris ullis,

Nunc gaudes nostris sæva puella malis.

Ergo vale, extremo tandem te te alloquor ore:

Ni tecum, ah moriar! vivere, amemque mori.

A D